

DAGOBERTVS REX FRANCORVM.



**D**Agobertus filius fuit Clotarij regis Franco  
rū. Hunc pater ab Arnoldo pr̄fuli Metensi  
in liberalibus artibus & uera religione optimè e-  
rudiri curauit. Postea cum uirtutes Dagoberti e-  
tiamnum iuuenis sese declararent, pater eum Au-  
strasiorum regem constituit. Erat autem natura re-  
ligioni deditus: itaq; passim Ecclesias multis pri-  
uilegijs exornauit, atq; uiros doctos amplis mu-  
neribus & officijs donauit. Cum autem post pa-  
tris obitum anno 640. regnum Francorum guber-  
nandum suscepisset, fratri suo Ariberto Aquita-  
niā regendam tradidit, ea tamen ratione, ut eius  
regnum Ligeri flumine & Pyreneo saltu termina-  
retur. Ipse uero regiam sedem Kircheimi in Alsatia, aut Lutetiae Parisiōrum ha-  
buit. Cum autem postea Aquitani defecissent, eos bello aggressus ad deditio-  
nem compulit. Slauos etiam Germaniam ingressos magna clade affecit, et ad  
propria redire coegit. Cum autem Saxones strēnuam operā in eo bello Da-  
goberto pr̄stitissent, eis tributum quingentorum boum remisit. Illis bellis  
prosperè confectis, totius ferè Franciæ & Alemanniæ Monarchiam adeptus  
est, quam etiam magna prudentia per annos 14. administravit. In primis uero  
pacem ubique constituit, atque suas prouincias iustitia, prudentia, & fortitu-  
dine exornauit.